

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In festo adscensionis Christi

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

autoritas, pro stercore arbitranda, Phil.
5. v. 8.

III. *Veritatem amplectere*, Christus ait: Ego sum veritas. Hæreseon sanè & errorum tanta seges est, ut vix numerari queat. Et tamen quilibet hæreticus errorem suum incrustatum & confirmatum it. Quò igitur à nemine fortè fallaris, à Jesu tuo disce, ille veritas est: idèd omnia, quæ dicit, vera sunt, verbum ejus veritas est, Joh. 17. v. 18. quod verò huic adversatur, mendacia & præstigiæ sunt, licet multis & plausibilibus argumentis pallietur. Veritati proindè insiste, nec à Spiritu mendacii falleris.

Quia & filii hujus seculi in antiqua consuetudine præsidium quærunt, & ex illâ jus evincere satagunt, noli illud attendere.

Tempore Gregorii Episcopus erat, qui & ipse prisca consuetudini multum tribuebat, cui verò Gregorius respondebat, *Christus dixit: Ego sum veritas, non dixit: Ego sum consuetudo.* Hoc responso & tu ejusmodi homines redarguere poteris. Dic cum Hanna: Nolite multiplicare loqui sublimia, sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est, & non diriguntur studia, 1. Sam. 2. v. 3. Brevis: usque ad mortem certa pro justitiâ, Sir. 4. v. 33. Sic Dominus, qui est via, veritas & vita, via tua erit, in te omnes promissiones suas implebit, tibi quæ hinc vitam spiritualem, ibi æternam ex gratia largietur, quod fiat per Christum Jesum. Amen.

IN FESTO ADSCENSIONIS CHRISTI.

Evangelium Marc. 16. v. 14. -- 20.

EXORDIUM.

Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ut ibi rursus oriatur, ait Regum Sapientissimus Salomo, Eccles. 1. v. 5. Per Solem nihil aliud denotat, quam luminare magnum, quod Deus posuit in firmamento cœli, ut præesset diei, Gen. 1. v. 15. 16. Ille igitur quotidie manè oritur, & cursum suum ad occasum dirigit, hoc modò diem in terrâ efficiens: Vesperis verò occidit, reliquum suum curriculum perficiens, dum ad locum, ubi pri-

diè ortus est, revertatur, & denuò exoriatur.

Hoc ipso verò Salomo vanitatem & interitum omnium filiorum Adami depingere voluit, qui & ipsi hinc non habent permanentem civitatem, Ebr. 13. v. 14. sed per labores & dolores ad præfinitum terminum currunt, Psal. 90. v. 11. in morte verò, velut Sol in nocte sepeliuntur, vita enim tum succiditur festinanter & avolumus, Psalm. 90. v. 10. Confer Sap. 5. v. 9. 10.

Et

Et sicut Sol, postquam interit, denuò revertitur, ita & omnes illi, qui hâc cursum suum absolverunt, die novissimo resurgent, ubi justî fulgebunt, sicut Sol, in Regno Patris eorum, Matth. 13. v. 43.

Sed & verba hæc ad Christum Servatorem commodè applicari possunt. Is enim Sol justitiæ est, Mal. 4. v. 2. qui gratiæ suæ radiis corda nostra illuminat, & peccatorum noctem fugat, unde non immeritò Soli non modò confertur: sed & longè præfertur, Psal. 19. v. 5. 6. Esa. 60. v. 19. 20. Apoc. 21. v. 23. seq. c. 22. v. 5.

Hic cœlestis & divinus Sol in incarnatione ortus est: & quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo, & coessentialis Dei Filius, à coæterno Patre, modo non perferutabili, hodiè, i. e. ab æterno genitus, Psal. 2. v. 7. ita à Patre exivit, & ad nos homunciones in mundum venit, Joh. 16. v. 28. & quidem principiò sub aurora, nebulis & nubibus profundissimæ exinanitionis delituit: semper tamen progressus est, ut voluntatem Patris cœlestis, obedientia activa & passiva cum delectatione faceret, Psal. 40. v. 9. Interea in hoc cursu suo, quandoque radios suos, è nubibus opacis, sub quibus se quasi continuit, projecit. In passione verò hic Sol non modò sanguineus: sed & per mortem crucis ignominiosissimam planè obscuratus fuit, & occidit, donec in resurrectione gloriosissima, magno decore & majestate reversus, in triumphante adscensu locum, unde exierat, repetiit, Joh. 16. v. 28. c. 20. v. 17. & ad culmen dextræ Dei pervenit, juxta Canticum Ecclesiæ:

Egressus ejus à Patre,
Regressus ejus ad Patrem,

Excursus usque ad inferos,
Rekursus ad sedem Dei.

De gloriosissima hâc Adscensione Domini, hodierna festivitate in Ecclesia Dei, cum gaudio & lætitia agitur.

Videbimus nos pro Instituti ratione,

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Non immeritò præfens festivitas à Bernhardo appellatur, consummatio & adimpletio reliquarum solennitatum, & felix clausula totius itinerarii Filii Dei. In reliquis festis una saltem pars cursus Christi describitur: At hodiè consummatio, & clausula totius itineris refertur, ubi præsentiam suam visibilem mundo subtraxit, ad cœlos adscendit, & ad dextram Dei Patris resedit. Rectè ergò felix totius itinerarii Christi clausula est.

In reliquis solennitatibus, ut ut jucundæ & lætæ sint, semper imperfectio & tristitia conspicitur. E. g. Jucundum & lætabile est festum conceptionis Christi: Verùm tum in utero matris, velut in obscuro & lordido domicilio delituit. Jucundum & lætabile est festum Nativitatis Christi: At tum parvus & tenellus Jesus fasciis laceratis involutus, & in tenebroso stabulo in præsepi jacens lacrymatur. Jucundum & lætabile est festum Circumcisionis, sed ibi dolores acerbissimos perſentit. Jucundum & lætabile festum Epiphaniæ: sed inter donaria, qua

III

qua

quæ Magi ex Oriente attulerunt, fuerunt quoque Myrrha amaræ. Jucundum & lætabile est Festum transfigurationis Christi: sed ibi cum Mose & Eliâ colloquitur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem, intellige passionem & mortem. Jucundum & lætabile est festum viridum, ibi enim Jesus vetus Testamentum consummat, & novum orditur, instituit sacramentum cœnam, lavitque pedes discipulorum: sed in ipsa nocte à Juda proditur, à Judæis capitur, illuditur & postridie crucifigitur atque occiditur. Jucundum & lætabile est festum Resurrectionis: at gaudium nondum est perfectum: ipse siquidem ait ad Mariam Magdalenam: Noli me tangere: nondum enim adscendi ad Patrem meum, Joh. 20. v. 17.

At hodiernâ festivitate, omnia plene jucunda sunt, sine mœrore & tristitiâ. Hâc enim concludit Dominus iter suum periculosum, iter molestum, & iter consolatione plenum, triumphante suo adscensu.

Querela respicit

I. Magnam incredulitatem. Novissimè enim recumbentibus undecim discipulis apparuit Christus: & exprobravit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum surrexisse, non crediderunt.

Non modò Maria Magdalena, sed & reliquæ mulieres, quibus Christus à sepulchro remeantibus, tum Cleophas & comes ejus, quibus in Emaus, nec non Simon Petrus, cui Hierosolymis apparuerat, Apostolis, Servatorem surrexisse nunciaverant. Dominus ipse de morte & resurrectione sua illis perspicuè prædixerat,

Luc. 18. v. 31. seqq. Ne dicam vaticinia & typos V. T. ipsis clarè expositos; attamen aliqui eorum non credebant: sed dubitabant, Matth. 28. v. 17. Maximè verò Thomas, Joh. 20. v. 25. Quia igitur Apostoli in scdâ hâc incredulitate & dubitatione diu hæserant, Christus non aliter potest, quin incredulitatem & duritiam cordis illis severè exprobrat, adeoque eos objurget.

Unde apparet, quam invisa Christo incredulitas sit, & quanto eam odio prosequatur. Apostoli multis vitiis & peccatis immergi erant. Erant temerarii, somnolenti, securi, perfidi &c. attamen illis talia peccata non exprobrat, sed objurget modò incredulitatem, ut innuat, incredulitatem maximam, imò fontem & radicem, omnium aliorum peccatorum & vitiorum esse. Quod enim ex fide non est, peccatum est, Rom. 14. v. 23.

Ipsa hæc incredulitas hodiè totum penè orbem inundavit, ut non immeritò querendum:

Nach Gott vom Himmel sieh dartin &c. Licet enim nemo talis videri velit, sed omnes pleno ore fidem ingeminent: attamen vana jactantia ratione multorum est. Multi enim de Articulis fidei quæ sit, magis muti, quàm pisces sunt: multi vanâ fiducia non Dei, sed creaturarum nituntur: multi verbum & Sacramenta despiciunt: imò multi, ut Epicuri de grege porci in luto peccatorum se volventes, operibus carnis indulgent, quæ enarrantur, Gal. 5. v. 19.

O miser homuncio! fidem quam tantoperè jactitas, re ipsa & operibus negas, ideoque impossibile, te placere Deo, Ebr. 11.

v.6. Propter incredulitatem tuam manes sub ira Dei, & jam judicatus es, Joh. 3. v. 18.
36. Sententia dudum lata est, qui non credit, condemnabitur, ait Christus in prælecta Pericope.

Respicite igitur ab incredulitate tuâ, & audi Servatorem ad Thomam dicentem: Noli esse incredulus, sed fidelis, Joh. 20. v. 27. Audi cum voluptate verbum Dei, fides enim ex auditu est, Rom. 10. v. 17. Et quia fides non est omnium, 2. Thess. 3. v. 2. sed donum Dei, Deum devotè invoca, cum Patre lunatici orans: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, Marc. 9. v. 24. Et cum Apostolis: Adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Confirma fidem tuam usu S. Cœnæ, nec dubita, quin Deus fidei lumen per Spiritum sanctum accensurus teq; iustificaturus & salvaturus sit.

II. *Cordis duritatem.* Exprobravit quoque illis Christus cordis duritiam. Apostoli quidem non ita obdurati erant, ut impius ille Pharao, qui omnes Dei admonitiones & pœnas omninò aspernabatur, Exod. 5. v. seqq. Neque ut Judæi & concilium Hierosolymitarum, quibus Stephanus objicit: Durâ cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resististis, sicut Patres vestri, ita & vos. Act. 7. v. 51. sed particulam de innata duritie adhuc habebant, quam nondum deposuerant, ob quam neque veterum Prophetarum, neque Christi verbis, neque Angelorum apparitionibus, neque muliercularum sermone, neque propriis oculis fidem habent, ut sic Servator ad illos objurgandum, inducatur.

Quod respectu discipulorum infirmitas fuit, id in hodierno mundo immundo ma-

litia est. Tantoperè enim cordis durities invaluit, ut major esse nequeat. Hoc quippe vitio non modò laborant Sectarii & hæretici, quorum impia dogmata verbo Dei è diametro repugnant, quæ tamen adversus invicta argumenta, propugnatæ eunt: Sed & magna Epicureorum & Atheistarum turba, quorum quasi symbolum est: Manda remand, Esa. 28. v. 13. & obdurato corde cum Auditorib⁹ Jeremia ajunt: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbû, quod egredietur de ore nostro, Jer. 44. v. 16. Ira quidem Dei ex lege, cum consequente maledictione, ad quam & Diaboli contremiscunt, sicut & exempla pœnarum, cum prodigiis, quæ olim facta sunt, & nunc fiunt, subindè inculcantur. Verùm quis agnoscit iræ gravitatem? Ps. 90. v. 11. plurimi durâ cervice, & fronte ærea sunt, Ecl. 48. v. 4.

Fugite hanc obstinationè & cordis duritiam, Vos mei! reminiscimini gravissimæ reprehensionis, quâ Christus discipulos hæc notat. Credite verbo ejus, exhorrescite irâ, invitent vos ad pœnitentiam gravissimæ exhortationes, terribilissima vindictæ exempla, plurima prodigia, & longanimitas Dei ipsa, Rom. 2. v. 4. Aperite januam cordis vestri, quò Christus ad illâ stans & pulsans introëat, & cœnet vobiscum, & vos cum illo, Apoc. 3. v. 20. Hodie, si audieritis vocem ejus, nolite obdurare corda vestra, Ps. 95. 8. Aliàs affectatam hanc contumaciam, justo Dei judicio Pharaonis obduratio sequetur, quæ temporale & æternum exitum certissimum post se trahit.

III. *Miraculorum modernorum vanitatem.*
In Evangelio præsentis Servator discipulis

llll 2 certa

certa signa fecutura pollicetur, quæ & facta sunt: Confirmavit enim Dominus sermonem, sequentibus signis.

Hic Papistica Ecclesia, invenisse se fertur, non quod pueri in faba, adeoque triumphum canit, & exclamat: Hic templum Domini est, hic templum Domini est! Jer. 7. v. 4. Non possumus, scribit Justus Lipsius, ad Pontificem Paulum V. efficacius frangere & calcare hæresin, quam hoc miraculorum fulmine, ut jam non verbis, sed factis disputem, ubi miracula, ibi Ecclesia!

Verum si miracula eorum sub incudem Scripturæ revoces, quam facile gloriatio eorum peribit, & in fumum dissolvetur. Verum equidem est, Apostolos à Christo potestatem miracula patranda accepisse: sed quis Apostolis Ignatianis hanc virtutem concessit? Ubi puram Evangelii doctrinam ultima hæc ætate miraculis confirmatum iri, promisit? Ad Ecclesiam quidem plantandam miracula necessaria fuerunt, ad plantatam verò supervacanea sunt, siquidem donum miraculorum brevi post Apostolorum tempora desuisse, vel ipsi Pontificiù invitati fateri coguntur. Hodierna verò signa & miracula, certissima Antichristi signa sunt, ut ex prædictione Christi, Matth. 24. v. 24. Pauli, 2. Thess. 2. v. 9. & Johannis, Apoc. 13. v. 13. luculenter constat. Ne dicam, Apostolos doctrinam suam primum ex Scriptura probasse, & deinde consequentibus signis confirmasse, Papistæ verò ordine præpostero doctrinam suam prodigiis confirmare satagunt, quia illam ex Scripturis probare nequeunt. Perstat ergò illud Augustini: Quisquis adhuc prodigia quarit, ad hoc, ut credat, ipse magnum prodigiū est, cum toto mundo credente, non credat.

Interea nos spiritualiter miracula adhuc hodie edere possumus, quæ Apostoli corporaliter patrarunt. E.g. Quando per fidem & poenitentiam Christo cor nostrum damus, Prov. 36. 26. diligimus eum, & servamus sermonem ejus, ejicimus dæmonia, & Pater atq; Filius ad nos venient, & mansionem facient, Joh. 14. v. 23.

Quando ab execrationibus, blasphemis, mendaciis, calumniis, desistimus, omnem sermonem spurcum vitamus, & qui bonus est, ad adificationem necessitatis, loquimur, Eph. 4. v. 29. novis linguis loquimur.

Quando pravis è corde exurgentibus cogitationibus non indulgemus, peccata in mortali nostro corpore non regnare patimur, sed carnem cum affectibus & concupiscentiis crucifigimus, Gal. 5. 24. colubros fugimus, Sir. 21. 2. Quando ignominia & persecutiones bona cōscientiæ sustinemus, mortiferū bibimus, quod non nocet nobis.

Quando ergà infirmos & egenos compassionem & misericordiā exhibemus, iisq; benefacimus, & pro iisdem oramus, superægros manus imponimus, ut bene habeant.

Hæc miracula & facere possumus, & madata nobis sunt. Hæc igitur si fecerim, Christi discipuli, & amici erimus, Joh. 15. 13.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ oritur **S**l. *Ex SS Ministerii dignitate.* Quando Princeps terrenus è ditione sua, in peregrina loca profecturus est, ante discessum Vicarium substituit, quò quilibet sciat, cui absente Principe parendum sit. Idem facit Servator noster, ubi enim præsentiam suam visibilem nobis subtrahitur & in Palæstinam cœlestem, ad ascensionem suam iturus est: ante Vicarios certos subor-

nat

nat, non quidem Petrum folam, ut Papiſtæ ſomniant, ſed univerſum Collegium Apoſtolorum, eorumque genuinos ſucceſſores, cum hac inſtructione: Euntes in mundum univerſum, prædicare Evangelium omni creaturæ, &c. O dulciſſime Jeſu! quanta noſtri providentia tangeris, ne pereamus, ſed habeamus vitam æternam. Quod enim nos creati & conſervati virtute & bonitate tua, quod item ſub poteſtate tenebrarum nos concluſos, ſanguine & morte tua redemiſti, id minus tibi viſum: ſed & media procuraturus es, quibus virtutem & efficaciam ſanctiſſimi meriti tui conſequamur, idèd miniſteriũ ante adſcenſum tuum inſtituiſti, & per idem inſtruiſti nos ad ſalutem. In Regno hoc tuo, quod in terris incepſiſti, omnia ſuaviter & amice peraguntur. Non imponis nobis jugum tyrannicum, ut Pharaõ Iſraelitis, aut Rehabeam ſubditis ſuis, & ut hodie Papa & Turca ſuis ſubditis imponere ſolènt: Sed doctrinæ & crucis tuæ onus, eſt onus ſuave & leve. Evangelium tuum nil niſi lac & mel ſtillat. Potuiſſes quidem, ut in diebus carnis, ſic & poſt adſcenſum tuum immediatè nobis prædicare, quia non locorum intervallo ſejunctus, ſed nobiſcum eſt ulque ad conſumationem ſeculi, Matth. 28. v. ult. Sed quis Majeſtatem tuam ferre potuiſſet? Idèd infirmitati noſtræ accommodaſte, ordinans nobis præcones fragiles homines, quales nos ſumus, qui theſaurum verbi, in vaſis fictilibus portent, 2. Cor. 4. v. 7. ſed quid prædicant? Evangelium, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Quibus prædicant? Omnibus creaturis, intelligè ratione præditis, nemine hinc excluſo, niſi qui ſeipſum excluſit incredulitate & ob-

duratione ſua. Quam verò utilitatem affert nobis? Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit. O dulciſſime Jeſu! verbum hoc tuum vivificat me: hoc certiffimam ſpem ſalutis affert. Credo ego Jeſu, & baptizatus ſum, idèd haud dubiè ſalvabor, Amen. Tu quoque dilectiffime Jeſu! tuum Amen adde, & in te erat Etiam & Amen.

II. Ex adſcenſionis Chrifti veritate, de qua Marcus in Evangelio noſtro: Dominus Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum.

Quodſi igitur Chriſtus verè in cælum adſcendit, ut in ſymbolo Apoſtolico conſitemur, ſciamus adſcenſionem ejus in emolumentum noſtrum factam eſſe, ſiquidem veritas ipſa ait: expedit vobis, ut ego vadam, Joh. 16. v. 7. Verè expedit: Hinc enim fluit

1. *Perfecta redemptionis certioratio.* Omnia enim feliciter abſolvit, quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria fuerunt. Diſſolvit opera Diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. contrivit caput infernalis ſerpentis, Gen. 3. v. 15. & arma fortis armati, in quibus confiſcebat, abſtulit, Luc. 11. v. 22.

Liberavit nos de manu inferni, & abſorpiſit mortem in victoriam, Of. 13. verſ. 14. 1. Cor. 15. v. 54. peccatũ in ſanguine ſuo ſubmerſit, iram Dei Patris, & maledictionem legis ſuſtulit, atque ita multiplices noſtros hoſtes vicit, nosque de ipſorum tyrannide redemit, ut jam nihil condemnationis ſit, in nobis, qui in Chriſto Jeſu ſumus, Rom. 8. v. 1. & lætanter triumphare poſſimus: Ubi eſt mors victoria tua? ubi tua inferne victoria? 1. Cor. 15. v. 54.

2. *Via Cœleſtis patefactio.* Chriſtus caput noſtrum, nos membra ejus ſumus. Quo præceſſit gloria capitis, eò & nos membra

ejus sequemur. Ipse Magnes est, corpora nostra instar ferri gravia ad se trahens. Ipse nobile Electrū, corpora nostra velut accera post se rapiens, hinc ait: Si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum, Joh. 12. v. 32. Adam paradiso ejectus, propter peccata, viam nobis ad paradysum interclusit; ad sepulchrum verò aperuit: Christus verò tanquam alter Adam, gloriosissimo adscensu suo, nobis viam ad paradysum pandit. Ipse perruptor est, qui nos præt, nosque perruptemus, & gradiemur post eum, Mich. 2. v. ult. Et hoc futuræ nostræ adscensionis in cœlum solatio, facile omnes vitæ hujus miseras odulare & superare possumus, lætabundi dicentes:

Tu morte suscitatus es,
Nec hac ego tenebor.
Salus tuus adscensus est,
Morti per hanc medebor:
Ubi manens huc ivero,
Semperque tecum vixero,
Huc lætus exciebor.

III. *Ex sessionis Christi Majestate.* Non enim modo in cœlum assumptus est, sed & sedet à Dextris Dei Patris. Hic iterum larga scaturige se pandit, è qua aquam vitæ, ad refectionem animarum nostrarum hauriamus. Quod si enim Christus sedet ad dexteram Dei Patris, ejusdem Majestatis, gloriæ & potentæ cum Patre particeps est, id enim dextera Dei juxta sentum Scripturæ notat. Non ergò otiosus in cœlo, & terrena despiciens sedet: sed adscendit, ut nos desuper protegat, Augustino dicente.

Quotiescunque igitur ab hostibus, nos cum Evangelio suppressere satagentibus, persecutione imperimur, intendamus in

cœlum, videntes Jesum, stantem à dextris Dei, Act. 7. v. 56. In intuetur angustias nostras, novit quoque astutias, versutiam & consilia hostium, quibus multo potentior est: tu ejus fiducia fretus, cum Ecclesia canta:

Humana quod versutia
Molitur, haud moramur,
Qui dissipat, sedet suprâ,
Consulta queis gravamur,
Magnas agant astutias,
Vadit Deus vias suas,
Manu sua retrahens,

Præterea, si Jesus ad dexteram Dei Patris sedet, caro & sanguis noster, quorum sine peccato tamen particeps factus, maximo honore & dignitate affectus est. Antè humana nostra natura cœlo exosa, imò ex illo proscripita erat: Jam verò postquam Christus in cœlum adscendit, & ad dexteram Dei sedet, in thronum infinitæ Majestatis & gloriæ divinæ evecta est. Quanta dignitas, quod caro & sanguis humanus in throno divino sedet, & ab omnibus Angelis & Archangelis adoratur, hinc Candidatus vitæ æternæ non immeritò cum Augustino dicere valet: Ubi portio mea regnat, ibi me regnare credo; ubi sanguis meus dominatur, ibi me dominari confido; ubi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse cognosco.

Tandem, si Christus ad dexteram Dei sedet, non dubitemus, quin velut Mediator & Advocatus noster apud Patrem cœlestem, in gratia ejusdem conservet nos, sicut Paulus sessionem ad dextram Dei & officium Christi Mediatorium conjungit, inquam: Hic Christus, qui est ad dexte-

ram

ram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. vers. 34.

Sicut enim summus Sacerdos Vet. Test. Sanctum Sanctorum ingressus est, ad expiandum populum: Ita Christus unicus ille Nov. Test. Pontifex noster non in manu facta Sancta introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, Ebr. 9. v. 24. Quotiescunque igitur ex imbecillitate delinquimus, fidelissima intercessione sua, imò præsentatione perfectissimæ obedientiæ & meriti sui, præcavet, ne cælestis Pater omnia ad rigorem justitiæ exigat, nosque in infernum detrudat, sed infirmitatem nostram patienter ferat, hinc Johannes: Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum, 1. Joh. 2. v. 2.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Cum Christo adscende*. Quia enim Christus caput nostrum in cælum adscendit, nos membra ejus decebit, ut sequamur eum. Quod quidem corporaliter in hæc vitâ fieri nequit, sed in alteram usque vitam differendum. At spiritualiter, & cordis affectu, quotidie in cælum adscendamus oportet. Hoc fit, quando ardentissimo desiderio Christi & bonorum cælestium flagramus, & sincero amore ejus incensi, inter diu & nocte sollicitè studemus, ut ubi ille est, & nos simus, & claritatem ejus videamus, Joh. 17. v. 24. Hinc Apostolus monet nos, inquiens: Quæ sursum sunt, quærите, ubi Christus est, in dextera

Dei sedens, Col. 3. v. 1. 2. Idque ipsa æquitas requirit. Non enim hic inquilini, sed alienigenæ sumus, non habentes hic manentem civitatem: sed futuram inquirentes, Ebr. 13. v. 14. πολιτεια nostrum in cælis est, Phil. 3. v. 20. Ubi thesaurus noster, ibi cor nostrum, Matth. 6. v. 21. Atqui Christus nobilissimus thesaurus noster in cælis est, ideo corda nostra eò elevemus, dum corpora nostra aliquando sequantur. Ergò sursum corda! & cælum anhela, cum Monica Augustini matre dicens: E-volemus hinc!

Quod si enim Judæi in captivitate Babylonica constituti, tanto patriæ suæ desiderio incensi, reversionem exoptarunt, ut dixerint: Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui &c. Psal. 137. v. 5. 6. 7. Quidni nos in Exilio & peregrinatione vitæ hujus, ubi vinculis peccatorum, laqueis mortis, & catenis inferni constricti sumus, majori desiderio Hierosolymam cælestem anhelemus, dicentes cum Ecclesia: Jesu meine Freude / meines Herzens Wende / Jesu meine Zier / etc.

II. *Terrena vilispende*. Equum sanè est, ut quotidie, ut supra dictum, cordis affectu in cælum adscendamus: sed plurima pars nostrum serpentis naturam induit, ut super pectus gradiatur & terram comedat, cunctis diebus vitæ suæ, Gen. 3. v. 14. Interea cæli obliviscitur, tædio afficitur Mannæ & panis Angelorum, unde & maledictionem serpentis incurrit, quæ dicto loco, à Deo effunditur.

Fuge hoc vitium mi Christiane! Ne sis Cain, qui, ut nomen fert, possessionem suam

suam in terrâ quæsiuit, sed esto potius Abel, & omnia, quæ in terris sunt, vanitatem æstima, Eccles. 1. v. 2. Sapite, non quæ super terram, monet Apostolus, Col. 3. v. 2. Veri Christiani ingenio aquilino præditi sunt, ea nidum suum non in terris, sed in excelsis construit: ita nec ipsi terræ adherent, nec terrena diligunt, ut in temporalibus, velut sus in luto se volvant: sed nidum in cælo construunt, derelinquunt vitam peccatricem & terrenam, & vitam cœlestem agunt, dicentes: A te quid volui super terram? Deficiat sanè caro mea, & cor meum: petra cordis mei, & pars mea, Deus in æternum, Psal. 73. v. 25. 26.

Idem tuum desiderium esto! Quodsi temporalibus bonis præditus es, utere iis, tanquam si non utaris, possides, quasi non possideas, 1. Cor. 7. v. 30. Utere iisdem ad Dei gloriam, & proximi emolumentum. Dic cum cœlesti illâ animâ:

Cæli bona,
Perstant rata,
Præ priver his,
Vitæ, bonis

Vincam, juva Deus me.

III. Verbo prædicato attende. Christus

ait in Evangelio: Prædicare Evangelium omni creaturæ. Atqui prædicare & audire relata sunt. Omnes igitur creaturæ intelligentes, verbum audiant necesse est.

Quia igitur & tibi, tanquam creaturæ rationali Evangelium prædicatur: illud diligenter observa. Ne negliges conciones & cultum Dei, nisi necessitate fortè prohibearis: sed veni, ut audias, quid spiritus Ecclesiis dicat, Apoc. 2. v. 7. Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias; hoc enim melius est, quàm stultorum victimæ, Eccles. 5. v. 1. Per vocem enim Evangelii Christus & corporalem & spiritualementem tuam operaturus est. In hac vita spiritualementem, ut mundo ejusque vanitatibus valedicas, & in eo solo voluptatem tuam quæras: Post hanc vitam verò corporalem, ut anima tua in horâ mortis, corpus verò die novissimo in vitam æternam avolet:

Der wer da glaubt / und wird getaufft /
Demselben ist der Himmel erkauft /
Dass er nicht werd verlohren.

Fiat id per Christum Jesum, Dominum nostrum, Amen.

FERIA II. PENTECOSTES.

Evangelium Joh. 3. v. 16. -- 21.

EXORDIUM.

Olim tres juvenes, corporis custodes Regis Darii, quodnam fortissimum esset, contenderunt? singuli scribentes verbum suum signaverunt, & posuerunt subtus cervical Darii Regis, ut si Rex surre-

xerit, ipse rem decideret, & palmam ei, qui rem acu tetigerit, attribueret. Unus scripsit, forte est vinum. Alius scripsit: Fortior est Rex. Tertius scripsit: fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.

Licet